

ARISTOPHANIS.

Itaque Ranas confinxit, in quo dramate Bacchum introducit, sollicitè quærentem in terris poetam tragicum, & quòd nullum reperiret, ad inferos descendentem, vt Euripidem è campis Elysijs reducat. Sed cùm Æschylus & Sophocles, grauitate Tragica superiores Euripide haberi vellent, oritur in ea fabula certamen in quo ab Æschylo vincitur Euripides. Hac ratione in magnum contemptum perductus fuit Euripides, & reliquis Tragicis longè posthabitus. Vt autem maius in illum concitaret odium, etià Thesmophoriazusas conscripsit: in qua fabula Euripides à fœminis, sacra Cereris celebrantibus accusatur, quòd iniusto odio mulieres persequatur, easque in suis tragicædiis passim traducat. Quibus de causis graues ei minatur pœnas mulieres. Reliquæ Comœdiæ reliquo belli Peloponnesiaci tempore, quo floruit Aristophanes, compositz fuerunt. Nam pacem anno decimo tertio belli scripsit, cùm post mortem Cleonis & Brasidæ, qui apud Amphipolin in acie perierant, pax & fœdus quinquaginta annorum inter Athenienses & Lacedæmonios esset factum, quod tamen septem annos non durauit, quemadmodum refert Thucydides lib. 5. *ἔσυχρ.* Acharnenses post mortem Periclis, & cladem Siculam scripsit, cuius in eo dramate stultam pertinaciam, & infecuta mala proponit, vt hoc exemplo malos & plebem terreat, ne stultis ducibus, qualis fuerat Lamachus, belli summam & Reipublicæ salutem committant. Quantam verò noxam reipublicæ dederit Lamachus, amisso exercitu in Sicilia, docuit exitus, stultorū omnium magister. Post cladem Siculā Aues prodierunt, in qua fabula hortatur Athenienses, vt Decelæam, quam ille ficto nomine *νεφροκοκκυγίαν* vocat, contra Lacedæmonios muniant, priusquã ab illis occupetur. Cui salutari consilio si paruissent Athenienses, in maximum malum non incidissent. Vespæ post alteram cladem Siculā scriptæ videntur, quam Atheniensibus Chares (quem ille ficto nomine canis, Labetem vocat) ductu suo inauspicato attulit. Periculosissimis autem temporibus, cùm tota Græcia in armis esset, Lysistratam composuit, in qua mulieres de κερ. & pace deliberant: facta coniuratione, quòd suis maritis concubitus denegare, & in arcem munitissimam se tantisper recipere velint, dum illi pacis negocium suscipiant. Plutum & similes Comœdias ijs demum temporibus commentus est, quibus ex interdicto magistratus Attici, neminem in Comœdia nominatim carpere licuit. Ac Plutum quidè per filium suum Ararotem, quem multitudini ipsemet præfecerat. referunt magnam esse laudem consecutum, quòd calumniatores subuertisset: alibi eos nominans *ἡπίλοισ;* (febres pituitosas in Vespis) *οἱ δὲ πατέρας αὐτῶν ἤγαγον νύκτωρ, καὶ αὐτοὺς πάππους ἀπέσπινον:* quæ febres noctu parentum interstrinxerunt gulas, & auos iugularunt. Inprimis verò ob hoc laudatus atque amatus est à ciuibus, quòd fabulis suis Reipubl. Atheniensium liberam, neque vllius domini tyrannidi subiectam esse, sed ne ipsum quidem populum in statu reipublicæ populari, & per se libero, sibi metipsi imperitare voluit. Quæ de causa olæ sacra ramo coronatus est, qui non minoris præmij loco habebatur, quàm corona aurea. Ac proinde in Ranis de inglorijs quibusdam hoc protulit: *ἴεθον χορὸν δίκαιον πολλά τῆ πόλει συμφέρειν:* Chorum sacrum esse iustum, vt qui multa rectè cõsulat ciuitati. Scripsit præter has Comœdias, quæ extant, alias triginta sex, quarum nomina leguntur apud Athenæum, in Dipnosoph. Sunt autem hæ: *Ἀγνός;* Senectæ ex-pers, Ælianus etiam lib. 12. de Animalibus citat, Anagyris, Babylonij, Rustici, Senectus, Gerytades, Dædalus, Conuiuæ, Danaides, Danai dolia, Dionysus, Niobe, Hiroes, Centauri, Cocalus, Lemnia, Nebulæ secundæ, Thesmophoriazusa altera, Naues onerariæ, Ciconiæ, Pelasgi, Pythagoræ, Scenæ apprehendentes, Sarragine coquentes, Telmissenses, Colostrum, Philonides, Phænissæ, & Horæ. Peculiaris ab eo inuentus est versus, qui Aristophanici appellatur, etiam à Cicerone memoratus in Bruto. Suidas Tetrametrum & Octometrum ab eo inuentum scribit. Eloquentia Attica in illo singularis fuit, vt ex ijs, quæ supersunt, Comœdijs colligitur. Itaque Platonem memorant Dionysio Regi Syracusano, statum reipubl. Atheniensis & linguam ex optimo autore perdiscere cupienti, hunc autorem misisse, hortatūque esse, vt fabulas huius Poetæ diligenter tractaret, si quidem reipublicæ Atheniensis statum perfectè vellet cognoscere. De Ioanne Chrylostomo disertissimo Theologo, sunt, qui scribant, eum suæ facundiæ & vehementiæ in taxandis vitijs, præsertim mulierum, partem optimam ex quotidiana lectione Aristophanis hausisse, & cùm dormitum iret, libros huius auctoris puluillo subdere solitum: vt olim Homeri poema Alexander ille Magnus. Certè